Raymundus Rossell in decretis baccallarius canonicus sedis Ilerden. ac in spiritualibus et temporalibus Reverendissimi in Christo patris et domini
domini A. miseratione divina tt. sancti Grisogoni sacrosancte Romane ecclesie presbiteri Cardinalis episcopi Ilerden. in remotis agentis vicarius generalis Dilecto nobis in
Christo Anthonio Bonet presbitero ordinis sancti Johannis Jherosolimitani nullum ecclesiasticum beneficium obtinenti Salutem in domino Attendentes bonum et
laudabile testimonium quod de te fidedignis audivimus perhiberi vicariam sive curatam ecclesie loci de Sena Monasterii de Sixena diocesis Ilerden. vacantem ad presens
de iure pariter et de facto per liberam et simplicem resignacionem in manibus nostris animo penitus dimittendi factam per discretum Guillermum Barba presbiterum
procuratorem religiosi fratris Manyol de Fontona presbiteri dicte vicarie ultimum vicarium et possessoris ut de eius potestate nobis constitit atque constat instrumento acto in dicto
Monasterio de Sixena vicesima octava die mensis et anni infrascriptorum per discretum Arnaldum Carnis habitatorem ville Fraga regia auctoritate notarium publicum per totam
terram et dominacionem Illustrissimi domini Regis Aragonum recepto et testificato prout idem notarius cum quadam sua certificatoria fidem facit ad presen-
tacionem de te nobis factam per honorabilem Michaelem [?] Canonicum Ilerden. ut procuratorem reverende domine Johanne de Ximenez priorisse dicti Monasterii de Sixena
patrone dicte vicarie ut de potestate eiusdem procuratoris nobis constitit atque constat instrumento per dictum notarium recepto et testificato die et anno predictis Tibi tanquam
bene merito damus conferimus et assignamus ac etiam providemus de eadem sine iure tamen cuiuslibet alterius Teque per traditionem birreti capiti tuo appositionem de dicta
ecclesia sive Rectoria presencialiter investimus cum omnibus et singulis iuribus et pertinenciis ad ipsam ecclesiam ecclesiamve sive vicariam pertinentibus et pertinere debentibus Quo-
circa curam et regimen animarum dicte ecclesie Tibi [...] harum serie committentes Mandantes tibi quatenus circa dictam curam et regimen animarum
taliter te habere procures quod de animabus tibi commissis dignam altissimo reddere valeas racionem Conscienciam tuam super hiis in domino onerando. Tu vero eris
de cetero dicto Reverendissimo domino Cardinali episcopo eiusque successoribus episcopis canonice intrantibus obediens et fidelis Generaliaque sicut iurasti statuta et sinodalia
prefati Reverendissimi domini Cardinalis episcopi vicariorum et officialium suorum atque alia mandata salubria humiliter adimplere et dicte ecclesie sive Rectorie iura
in omnibus et per omnia defendere atque tueri iurasti Teque in eadem ecclesia loci de Sena horis diurnis pariter et nocturnis et eidem in divinis congrue deservire Nos
enim dilecto nobis in Christo [...] presbitero diocesis Ilerden. quem tu super hoc magis duxisti eligendum per presentes dicimus committimus et mandamus quatenus te vel procuratorem
tuum in possessionem tuam in corporalem realem et actualem possessionem seu quasi dicte ecclesie sive vicarie iuriumque et pertinenciarum eiusdem mittat et inducat
inductumque defendat amoto exinde ab eodem quolibet illicito detentore Tibique faciat de universis et singulis iuribus ipsius plenarie et integre responderi Con-
tradictores quoslibet et rebelles si qui fuerint vel fuerint auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam firmiter compescendo Nostre tamen intencionis existit quod si tempore dicte
collacionis seu provisionis nostre huiusmodi aut a duobus mensibus citra lapsis circa publicus regius fuerit concubinarius presens nostra collacio seu provisio nullius
sit valoris vel momenti In cuius rei testimonium presentem tibi fieri iussimus sigillo vicariatus dicti Reverendissimi domini Cardinalis inpendenti muniri Datum Ilerde vice-
sima nona die Julii Anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Quinquagesimo primo

30/17

1451-7-29

448